



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 53. Cardinalis Contareni opera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI.
A.C. 1542. fex, quamvis antea hujus Viri integritatem suspectam habuisset, operam ab eo navatam amplissimis laudibus extolleret, eumque Bononiam ablegaret, ubi etiam die prima Septembris hora meridiana rebus humanis valedixit, annos natus quinquaginta novem.

§. LIII.

Cardinalis Contareni Opera.

Ciac. p. 597.
Dupin. l. c. Plura ingenii sui monumenta posteris reliquit Contarenius, atque inter cetera præcipue celebratur I. liber de immortalitate animæ adversus Pomponatium, in quo ex ipsis naturæ principiis animam esse immortalem demonstrat contra sententiam præfati Scriptoris, qui propugnabat, quod hæc veritas nequaquam rationibus comprobari, sed per solam fidem addisci possit. II. Scripsit idem Cardinalis quatuor libros de septem Sacramentis. III. Duos tractatus de officio Episcopi. IV. *Scholia in Epistolas D. Pauli.* V. *Summam Conciliorum magis illustrium.* VI. Confutationem quorundam articulorum, seu quæstionum Lutheri. VII. Quosdam tractatus de Justificatione, Prædestinatione, & libero Arbitrio. VIII. Librum de Potestate Pontificis. IX. Breve Christiani hominis institutionem. X. Explicationem Psalmi: *Ad te levavi*

vi

vi &c. Præter hæc opera scripsit plures tractatus philosophicos, quos silentio præterimus, præcipui tamen ex illis sunt libellus de æstu maris, atque alius contra quartam Syllogismi figuram, quam Logici figuram Galleni appellant, nec minus etiam edidit tractatum de Venetorum Magistratibus, eorumque republica. Cuncta hæc opera in unum volumen collecta anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo in majori forma Parisiensibus literis excusa prodierunt, quæ quamvis Latini idiomatis puritate, ac sermonis elegantia, nec non rationum soliditate emineant, satis aperte tamen testantur, quod illorum Auctor magis recondita Philosophiæ eruditione, quam Theologiæ doctrina celebris fuerit. Præterea in suo de Sacramentis tractatu hoc argumentum non nisi leviter, carptimque perstringere videtur, aliunde tamen ejusdem de Episcopi officio libri præceptis prorsus utilissimis referti sunt, inque suis Scholiis circa difficillimos etiam textus literalem de D. Pauli epistolis sensum optime explicat: Summa vero Conciliorum, quam scripsit, duntaxat epitome est principalium Conciliorum usque ad Synodum Florentinam, quam inter Oecumenicas numerat. Ceterum hæc ipsa Contareni summa antiquitate

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. G sua

Sæc. XVI.
A.C. 1542.

Handwritten notes:
Z
S
C
A

Sæcul. XVI. sua præstat ceteris omnibus, quæ hucus-
A.C. 1542. que prodierunt sub hoc titulo : *Summa*
Conciliorum magis illustrium.

§. LIV.

*De Summa Conciliorum magis il-
 lustrum.*

Salmon.
tract. de stud.
Conc. 4. p. 2.
t. 2. p. 267.

Idem Cardinalis præfatam Summam nuncupabat Paulo III. Pontifici maximo, quo fati functo eadem primo Florentiæ anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, ac postea in pluribus aliis locis impressa prodiit. In ea Contarenus eundem Papam plurimum commendat ob indictam Synodum Tridentinam, cujus prosperum sibi successum pollicetur, imo referunt nonnulli, quod hujus Synodi convocatio eadem haud leves addiderit stimulos, ut sese huic studio daret, summaque diligentia ex Græcis, Latinisque Auctoribus quamdam Canonum epitome conscriberet. Ceterum eundem ordinem, quem sibi Isidorus in sua collectione præscripserat, etiam hic Cardinalis in sua Summa servasse videtur, atque, in quibus demum illa a Codicibus exaratis discrepet, observat, refertque non modo Concilium Nicænum sub Sylvestro Papa indictum, sed etiam illius Decreta regnante Julio I. condita. Præterea affirmat, quod Platonis doctrina, qua
 Do-